

de fide est: nam habetur expressa in Scriptura, Joann. cap. 1, *Lex per Moysen data est*. Recteque ponderat Clemens Alex., lib. 1 Pædag., cap. 7, non dixisse *factam* sicut dixit de Christo, sed *datam*, quia ab alio legem recepit, ut eam daret hominibus. Et sic etiam dixit Christus, Joan. 7: *Nonne Moyses dedit vobis legem?* et ita etiam videtur intelligendum quod Paulus de eadem lege dicit ad Gal. 3: *Ordinata per Angelos in manu mediatoris*, ubi Chrysostomus, quem aliqui Græci sequuntur et multi Latini, per mediatorem, Christum intelligit, qui est unicus mediator Dei et hominum, 1 ad Tim., 2, juxta quam expositionem particula *in manu*, non de ministeriali auctoritate, sed de principali potestate intelligenda est, ita ut sensus sit, Angelos disposuisse legem in virtute et auctoritate Verbi divini, et in hoc sensu potest expositio subsistere cum his quæ diximus. Sed non video cur ibi potuerit Paulus mentionem facere de Christo sub nomine mediatoris; tum quia non est mediator ut Verbum tantum, sed ut Verbum incarnatum: at vero ad veterem legem ferendam non ut Deus homo, sed tantum ut Deus operatus est; tum etiam quia Verbum divinum nihil peculiare habuit in illa legislatione, propter quod ei magis tribuatur quam Patri et Spiritui sancto, nec etiam ei solet appropriari in Scriptura, neque apparet fundamentum talis appropriationis. Et ideo probabilius censeo quod cum Nazianz. et Cyrillo Alex. dixi 3 part., q. 26, art. 2, ibi Paulum vocare Moysen mediatorem inter Deum et populum quoad illius legis promulgationem, alludens ad verba ejusdem Moysis, Deuter. 5, ubi, loquens de eodem tempore et actione, dicit: *Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus*, id est, legem ejus; sic ergo fuit Moyses mediator inter dantem Deum et populum cui lex dabatur, tanquam promulgator ejusdem legis. Et hanc expositionem late confirmat Salmer., disp. 28, in Epist. ad Galat., ubi etiam prosequitur difficultatem quæ oriri potest ex verbis proxime a Paulo subjunctis: *Mediator autem unus non est: Deus autem unus est*, quæ non videntur apte conjungi cum præcedentibus, si de Moyse erat sermo. Omissis autem quæ dicit, existimo Paulum subjunxisse illa verba, ut ostenderet Moysen non fuisse auctorem illius legis, sed ministrum inter populum et Deum legis auctorem, et ideo subjunxisse: *Deus autem unus est*, ut ostenderet quod prius dixe-

rat, legem non evacuare promissionem. Et ideo concludit: *Lex ergo adversus promissa Dei? absit*, quia scilicet Deus non potest esse sibi contrarius: fuit ergo lex illa principaliter quidem a Deo per Moysen, vero tanquam mediatorem, data. Et ideo lex illa sæpe vocatur lex Moysi, Malachiæ 4: *Memento legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Herob ad omnem Israel*; et Lucæ, 2: *Secundum legem Moysi*. Et ob hanc etiam rationem, Clemens Rom., dicto lib. 6 Constitut., cap. 19, Moysen regem, Sacerdotem et legislatorem appellat. Ratio autem hujus assertionis eadem est quæ præcedentis, proportionem servata, scilicet, suavem Dei providentiam esse homines per homines gubernare, saltem ut ministros, quamvis ipsos supremos principes per Angelos illuminet.

11. *Probatum secunda pars.—Modus loquendi Tiraquel. cavendus.*—Secunda pars assertionis videtur sequi manifeste ex prima. Nam si Deus fuit illius legis auctor, ergo non fuit Moyses, nam una lex unum tantum habet proximum auctorem. Item si Moyses fuit proximus auctor illius legis, ab illius humana voluntate habuisset proximam vim obligandi; ergo fuisset lex humana; ergo non esset divina, quod est contra assertionem primam, vel esset simul divina et humana proprie, quod plane repugnat. Circa hanc vero partem nonnulla notanda sunt. Primum est, cavendum esse modum loquendi Tiraquelli in Præfat. ad retract., n. 10, ubi, adductis in exemplum quibusdam illius legis præceptis, ita concludit: *Ex quibus plane intelliges præcepta legalia Moysis non fuisse juris divini, nam si talia fuissent, perpetua quoque, et immutabilia permansissent, nec crimini atque peccato fenestram aperuissent*. Loquitur autem de præceptis cæremonialibus et judicialibus, de quibus, si intelligit non esse juris divini naturalis, verum quidem est dictum, sed tamen inutile et extra rem, et, ita indistincte probatum, errandi occasionem præbet: si vero loquitur de jure divino positivo, gravem errorem continet dictum illud, ut constat ex adductis assertionem prima. Et probatio ejus prior male infert, quia non oportet omne jus divinum esse perpetuum et immutabile, sed poni potest pro divinæ voluntatis arbitrio ac consilio, ut ex sequentibus constabit. Altera vero ejus probatio falsum supponit: nam illa lex non aperiēbat fenestram ulli crimini, ut ex dicendis constabit, explicando permissionem repudii, in qua maxime ille fundatur.

12. *Secundo observandum.—Confirmatur.*—Secundo, observandum est Alfons. Salmeronem, disp. 61 et 62 in Acta, late docere Moysen fuisse proprie legis veteris auctorem, et non tantum promulgatorem quoad præcepta cæremonialia et judicialia, inter quæ et Decalogum hanc differentiam constituit, quod Decalogi Deus fuit auctor immediatione virtutis et suppositi, cæterorum autem præceptorum tantum immediatione virtutis; nam immediatione suppositi Moyses fuit ex illius sententia. Unde, cum in disputatione 91 late distinguat jus divinum large sumptum et proprie, videtur plane sentire legem illam quoad cæremonialia et judicialia non continuisse jus divinum proprie, sed large, prout dici solet etiam de jure apostolico et de canonico, et in universum de omni illo quod fertur ab homine per supernaturalem potestatem divinitus datam, et per divinam inspirationem et illustrationem. Quam sententiam solum probat quibusdam testimoniis Patrum, qui non tam generaliter loquuntur, ut jam dicam; et quia illa lex appellatur lex Moysi, et ipse Moyses legislator esse dicitur. Sed hæc sententia mihi non videtur probanda. Dicendum enim omnino censeo Deum fuisse proximum auctorem et legislatorem illius legis, non tantum immediatione virtutis, sed etiam suppositi. Et (ut non sit ambiguitas in verbis) sensus est præcepta illius legis, etiam cæremonialia et judicialia, habuisse vim obligandi immediate a voluntate divina, independentem a voluntate Moysi, et ita legem illam fuisse propriissime divinam, ac subinde in hoc etiam sensu Moysen non fuisse auctorem illius legis, sed tantum promulgatorem. Hanc enim veritatem in hoc sensu probant quæ adduxi in prima assertionem. Et declaratur, quia Moyses tulit illam legem ex speciali revelatione divina, ut dictus auctor fatetur, et ex Scriptura expresse constat; per illam autem revelationem immediate indicabat Deus voluntatem suam circa ea quæ ab illo populo observanda erant; ergo ab illa voluntate habebant illa præcepta vim obligandi, et illam immediate indicabant: ergo erant a Deo immediate immediatione suppositi quoad vim obligandi, licet quoad ministerium scribendi illa vel promulgandi essent immediate a Moyse. Confirmatur, quia alias illa lex quoad illas partes non esset magis divina quam lex canonica, vel quam propria apostolica, de qua dicit Paulus: *Dico ego, non Dominus*; consequens est plane falsum; tum

quia est contra expressum modum loquendi Scripturæ, in qua Deus ipse dicitur tradidisse illa præcepta; et Moyses semper refert illa ut tradita et dicta sibi a Deo, et ut ostentia immediate divinam voluntatem; tum etiam quia Patres et theologi communiter ita intelligunt Scripturam, et in hoc sensu vocant illam legem divinam; tum denique quia alias non fuisset illa lex immutabilis ab homine, sed potuisset Moyses omnes illas cæremonias immutare, et alias loco illarum introducere, quod plane absurdissimum est, ut optime docet D. Thomas, quodlib. 4, art. 13, ubi aperte hanc docet veritatem, constituendo discrimen inter legem veterem et novam, quod in illa determinationes cæremoniarum et observantiæ erant ex jure divino, in hac vero minime, sed de jure ecclesiastico; quæ differentia nulla esset, nisi de propriissimo et rigoroso jure divino intelligeretur. Dicere vero aliquis posset legem quidem illam fuisse hoc modo propriissime divinam, et habuisse Deum proximum auctorem etiam immediatione suppositi; nihilominus tamen etiam Moysen, auctoritate a Deo acceptata, illam tulisse ut proprium legislatorem, et ita obligasse etiam immediate ex vi voluntatis humanæ Moysi, atque adeo obligatione humana non excludente divinam illi adjunctam. Respondeo sic explicatam sententiam non continere errorem, quia non repugnat Scripturæ, vel traditioni; at vero dictus auctor non loquitur in hoc sensu, ut plane constat ex disputatione 162, ad 5 prioris partis, et ex discursu præcedentis disputationis. Nec etiam mihi videtur probanda, quia superflua est illa duplex obligatio, et sine fundamento, quia ipse Moyses semper proponit illam legem ut præcepta Dei, et ut indicantia divinam voluntatem obligantem, neque auctoritatem aut voluntatem suam ipse interponit, sed omnia semper ad Deum refert. Ut autem lex illa interdum dicatur Moysi, satis est quod per ipsum data fuerit, ut ait Joannes.

13. *An Moyses saltem alicujus præcepti fuit auctor.*—Tertio, vero superest speciale dubium, an hæc generalis regula aliquam admittat exceptionem, nimirum, quia licet non omnia, saltem aliqua, vel aliquod præceptum illius legis Moyses proprio arbitrio tradiderit, et consequenter illius fuerit non tantum minister, sed etiam auctor. Origenes, citato loco, tradit specialiter de lege repudii. Et licet Canonicus lib. 2 de Locis, cap. 18, ad 2, dicat illum non perstitisse in illa sententia, id non ostendit,



neque ego apud illum invenio. Accedit quod eadem sententia est plane Ambr., lib. 8 in Lucam, in princ. Verumtamen etiam ad illum tacite respondet Can., aliter sensisse 1 Cor., 7, exponentem illa verba, *Ceteris ego dico, non Dominus*. Dices ibi potius dicere Ambrosium id dixisse Paulum, *ut ostenderet quid proprie Dominus jussit, et quid Pauli auctoritati concessit, quia et per istum Dominus loquitur*. Hoc tamen non obstat quominus ibi distinxerit Paulus præceptum divinum Christi a suo humano, ut omnes interpretantur, et verba declarant; ergo si idem accommodatur ad Moysen, non retractat, sed potius confirmat Ambros. priorem sententiam. Adde duas ibi esse quæstiones quas Can. confundit: una est, an Moyses sicut Paulus aliquid humano arbitrio, licet auctoritate a Deo data, præceperit; alia est, an uterque, cum præceptum illud scripsit ac retulit, humano vel divino Spiritu ductus scripserit. Et in hac posteriori quæstione certissimum est omnia verba utriusque scriptoris fuisse canonica, et a Spiritu sancto dictata. Neque hoc ibi tractabat Ambrosius, neque dubitabat quin uterque canonicè suum præceptum scripserit; at in priori loco docet illam non fuisse legem divinam, quod in posteriori non negat. Can. ergo, priorem tractans quæstionem, sine causa adducit Ambrosium, et immerito ait illum mutasse sententiam: nam de Paulo constat præceptum vel consilium ejus ibi fuisse humanum: ita ergo Ambrosius videtur sensisse de Moysen. Et eodem modo interpretatur verba illa Christi loquentis de lege repudii: *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses*, Hieron., Matth. 5, 19; et sequuntur ibi Beda, Hugo Card. et D. Thomas. Neque obstat huic opinioni auctoritas Epiphani, qui sententiam Ptolomæi, ut hæreticam, damnat; quia vel id intelligendum est ratione primæ partis, quæ hæretica est, ut supra dixi, vel illa etiam pars in illo hæretico damnatur, quia non solum dicebat Moysen auctoritate propria tulisse aliqua præcepta, sed etiam proprio spiritu, et contra spiritum Dei tulisse illa, ut Salmer. supra late exponit.

14. Nihilominus tamen dicendum est totam legem contentam in libris Moysi usque ad finem Deuteronomii divinam fuisse, et Moysen non auctorem, sed solum fuisse promulgatorem omnium partium ejus, sine ulla exceptione. Notavit hoc Maldonatus Matthæi 19, ubi pie Sanctos interpretatur. Et idem sensit Bellarmin., lib. 4 de Verbo Dei scripto; Arboreus, lib. 40 Theosophiæ., cap. 9, et

idem plane sensit Epiphani., d. hæres. 33; imo videtur esse communis sensus doctorum. Et probatur, quia Exod. 20 et 21, et sequentibus, et fere per totum Leviticum, præmittuntur illa verba: *Locutus est Dominus ad Moysen, Hæc dices filiis Israel*. Et Deut., 3 in principio, similiter dicitur: *Locutus est Moyses ad filios Israel omnia quæ præceperat ei Dominus, ut diceret eis*. Quod ipse repetit, cap. 6, initio, et postea eodem contextu et modo omnes leges profert: ergo nullam possumus cum fundamento excipere, alias nihil manet firmum in reliquis.

15. *Ad exceptionem de lege repudii.—Duplex modus permissionis.—Primus, dispensative.—Secundus permissive.—Nullum præceptum humana auctoritate latum.*—Deinde specialis illa exceptio de lege repudii nullum habet fundamentum; nam quod illa permissio vel lex dicatur a Moysen data vel scripta, non obstat quominus sit a Deo auctore: nam, Matthæi 8, dixit Christus leprosis ut offerrent quod præcepit Moyses, licet illud fuerit divinum præceptum; imo, Marc. 7, simul dixit: *Moyses dixit, Honora patrem tuum*, et subjungit: *Irritum fecisti præceptum Dei*; ergo licet in alio loco dicatur Moyses permisisse, non excluditur quin Dei auctoritate permiserit. Unde recte Chrysostom., Hom. 63 in Mat., dicit Christum inæstimabili sapientia pro Moysen satisfecisse, et subjungit: *Nam quoniam ab ipso etiam illa lex emanavit, jure ab omni crimine illam defendit*. Præterea materia ipsa divinam requirit auctoritatem. Duobus enim modis potest illa permissio intelligi; primo, dispensative, concedendo veram dissolutionem vinculi matrimonii rati et consummati, quem sensum multi Patres approbant, et in eo certissimum est solum Deum potuisse esse auctorem talis dispensationis. Alius sensus est, ut fuerit pura permissio minoris mali, quem scholastici magis probare solent, et in eo facilius intelligi posset auctoritatem humanam ad talem permissionem fuisse sufficientem; tamen et prior sensus fortasse probabilior est, de quo infra; et in posteriori etiam non est verisimile Moysen sua auctoritate ausum fuisse talem permissionem concedere in materia intrinseca mala, et quæ, per se spectata, non videbatur adeo necessaria ad majora mala vitanda. Sit ergo certum, nullum ex illis præceptis humana auctoritate latum esse, ac subinde totam illam legem strictè, ac proprie esse divinam.

## CAPUT III.

PROPTER QUEM FINEM DATA SINT LEX VETUS ET PRÆCEPTA EJUS, SALTEM IN GENERALI.

1. *Finis legis et præceptorum.*—Explicata causa efficiente veteris legis, ut ejus ratio et qualitas intelligatur, illius causa finalis explicanda est. Circa quam nonnullam difficultatem ingerit Paulus ad Rom. 5, dicens: *Lex subintravit ut abundaret delictum*, quæ verba indicant finem illius legis fuisse ut occasione illius hominum peccata multiplicarentur, cui consonat illud ad Gal. 3: *Quid igitur lex? propter transgressionem posita est*, quia, ut idem ait ad Rom., 7, per illam legem peccatum, quod mortuum erat, revixit; unde ibidem, c. 8, vocat illam *legem mortis*. Et 2 ad Cor., 3, dicit *litteram occidere*; per litteram intelligens legem Veterem, de qua subdit: *Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria*, etc. Si ergo lex vetus fuit ministratio mortis, hic intelligitur fuisse finis per se intentus per illam, quia non denominatur lex talis ex iis quæ per accidens, et præter intentionem eveniunt. Secundo, videtur finis illius legis fuisse mere temporalis, scilicet, peculiaris institutio cujusdam temporalis regni, quod in hac vita temporalem felicitatem consequeretur. Quod patet tum ex pluribus præceptis illius legis, quæ solum pertinet ad bonam reipublicæ gubernationem, justitiam, et pacem: nam licet multa alia pertinerent ad cæremonias sacras, omnes illæ ordinabantur ad temporalem felicitatem illius reipublicæ. Tum quia omnes promissiones quæ a Deo fiebant observatoribus illius legis, temporales erant, ut constat ex toto discursu veteris legis, et docent multi Patres infra referendi; ergo ad summum fuit illa lex veluti civilis, speciali Dei providentia, data illi populo.

2. *Finis legis bonus, honestus, spiritualis et supernaturalis fuit.*—Nihilominus, certum est finem illius legis bonum ac honestum, et non temporalem tantum, sed etiam spirituale, imo et supernaturalem extitisse. Quod totum sufficienter probari posset ex eminentia legis divinæ: ut tamen declaretur, suppono posse nos loqui, aut de fine ultimate intento per legem illam, aut de fine proximo. Qui etiam duplex esse potest, scilicet, vel finis quasi extrinsecus ipsius legislatoris, vel finis quasi intrinsecus ipsius legis, de qua rursus

(juxta superius dicta) loqui possumus, vel collective, prout comprehendit multitudinem et ordinem præceptorum quibus illa lex constabat, vel divisive, de singulis ordinibus, seu speciebus illorum præceptorum. Et ita etiam agere possumus, vel de fine communi et adæquato toti legi, vel de fine et ratione uniuscujusque legis seu præcepti.

3. *Finis ultimus a Deo intentus, quis fuit.*—Dico ergo primo: finis ultimus per illam legem a Deo principaliter intentus, fuit spiritualis et supernaturalis felicitas illius populi, vel in hac vita per bonos mores et veram sanctitatem, et etiam in futura per supernaturalem felicitatem. Hæc assertio sumi potest ex D. Thoma, 1. 2, q. 98, art. 1, et q. 99, art. 2; et probatur ex illo Psal. 18: *Lex Domini immaculata convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda*, etc., usque ad illud: *In custodiendis illis retributio multa*. Item sumitur aperte ex toto Psal. 118: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, etc. Præterea ex Paul. ad Rom., 7: *Lex quidem sancta et mandatum sanctum*; et infra: *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum*. Ubi, licet videatur principaliter loqui de illa lege naturali, *Non concupisces*, tamen idem sine dubio intelligit de tota lege. Idem recte ostendunt verba Stephani, Act., 7: *Qui accepit verba vitæ dare nobis*, ubi per verba vitæ legem intelligit quam Moyses accepit, ut eam populo daret. Constat autem ibi non loqui de vita temporali, sed de æterna. Unde Matthæi 19, quidam Christum interrogavit: *Quid faciam ut habeam vitam æternam?* Christus autem docuit illum, per observantiam mandatorum legis posse ipsum consequi vitam æternam; ergo propter finem vitæ æternæ data est illa lex. Et similiter Lucæ 10, interroganti legisperito: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* respondit Christus: *In lege quid scriptum est, quomodo legis?* significans profecto legem illam datam esse, ut viam vitæ æternæ consequendæ. Ratio autem est, quia lex illa data est a Deo, non tantum ut auctore naturæ, sed etiam ut supernaturali auctore gratiæ: ergo data est propter ipsam gratiam et gloriam obtinendam: nam finis consentaneus est principio, in eo qui perfecte operatur, ut est Deus. Antecedens vero probatur, quia lex illa data est a Deo ex providentia supernaturali, et ut suscipienda, et credenda fide supernaturali; imo tota illa